



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitaphium Illustrissimi Et Excellentissimi Domini, Domini
Joannis Balthasaris Comitis de Hoyos, &c. Austriae
Mareschalli, Consiliarij Intimi**

Abraham <a Sancta Clara>

[Salzburg], 1688

[Text]

urn:nbn:de:hbz:466:1-36463

Sed præclarâ vitâ omnem honestare
Obitum valet.

Vere erratis Grammatici,
dum asseritis,

Verbum *vivo* esse *neutrum*,
cùm reverà sit, *deponens*,

Sed ô cæca Mors!

In Autumno debuisses *vitem* non *vitam*
amputare.

Quis iste modus seu motus?

Dum alij *poculis* dulce Mustum colligunt,

Tu *oculis* acerbum succum propinas;

sed crede,

Reliquit *Octobrem* in terris,

Ut inveniret *Majum* in Cœlis,

Ubi florebit in perpetuas æternitates.

Discessit è vivis *Decimâ*,

Quæsiturus in Cœlis *Octo*,

scilicet *Beatitudines*.

Epilogus vitæ fuit ei Dies *Veneris*,

Res rara!

Quòd diem *Veneris* in *Sabbatum*

Mutârit,

Et *quieverit* in Domino,

Qui rarò quievit pro Domino.

Res chara!

Quòd in signo *Libræ* obdormierit,

qui pro *Libra* Justitiæ

indefinenter vigilabat.

Res clara!

Quod in die *Jejunij* obierit,

Nimirum, ut satiaretur in *Cæna Magna*,

quam præparavit Dominus

diligentibus se.

Invasit

Invasit eum dira ac dura Mors
de Nocte,
Ast non mirare,
Quia *Lux* erat,
Sed absque fumo avitæ Gloriæ.
Paulò ante obitum poplite flexo
Veneratus est Iconem
Divæ DEIPARÆ.
Dic ergò!
O felix *occasus*! cui hæcce *Aurora*
adstipulatur.
Reliquit post se cum Mæstissimâ Coniuge
Duos & Duas
Lectissimas proles,
Ubi miraberis pariter Virum *Singularem*
in plurali.
Nemo quidem, ait *Sacra Pagina*,
Potest duobus Dominis inseruire,
Sed hicce tribus,
videlicet:
Regi,
Gregi,
Legi.
Nam Cæsari *totus*, quia *tantus*;
Nobilibus *gratus*, quia *gratiosus*;
Populo *charus*, quia *charitativus*;
Patriæ *Parens*, quia *parcens*,
Omnibus suavis,
Nemini gravis.
Meretur igitur *Lachrymas*,
Qui nulli excussit *Lachrymas*.
BALTHASAR noster ductus bonâ
Stellâ ad DEUM videndum,

Reliquit

Reliquit tamen *Myrrham* Conjugi
Conjungendus ipse Superis.
Marianus noster, hocce nomen meretur,
Quia Divæ Virgini
ædes Magnificas
erexit,
dilexit,
dotavit,
ditavit,

In Guetenstein.

Consultò fecit, qui supra hanc *petram*
ædificavit salutem suam.
O quàm benè tibi hospes
precari licebit!

Requiem æternam *dona* ei Domine!

Qui *Dona* non accepit,
Qui propter hoc *aureus*,
Quia post *aurum* non abiit,
Sed obiit, ah obiit!

Consiliarius Cæsaris,
& *tuus*, ô Viator,
Nam audi Consilium,

Aspice
me

Inspice
te

Suspice
DEUM

Mortuum, Moriturum, Mortuos & vivos
Judicaturum,

Ita Pij's Manibus parentavit. Fr. ABRAHAM.

F I N I S.